



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Conradi Oligenii J. C. Dissertatio De Primariis Precibus  
Imperialibus**

**Corradini, Pietro Marcellino**

**Friburgi Brisgoiae, 1707**

XXX. Concordata Precibus Imperialibus opposita.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-63022](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-63022)

Inita tandem fuit, Deo dante, concordia inter Fridericum, Principes, Prælatos, Capitula Germaniæ, & Papæ Legatum, ejusque pacta solemnia legi possunt apud Raynald. ad annum 1448. num. 3., & in Constitutione I. Nicolai V., qui eam per Apostolicam Bullam confirmavit, & apud Goldastum in sæpe relato tom. I. pag. 408. In ea sanè concordia Nicolaus Papa sibi soli, & Successoribus reservavit Beneficia expressa in Extravag. *Ad Regimen* de Præbend., Dignitates majores post Pontificales in Cathedralibus, & Collegiatis, necnon alia quæcumque, & quomodocumque vacantia in mensibus Januarii, Martii, Junii, Septembris, & Novembris: cæterorum verò Beneficiorum vacantium in aliis mensibus, præter jam reservata, collationem, & provisionem concessit Ordinariis Collatoribus, inhibuitque sibi, & Successoribus, iis mensibus, Ordinariis assignatis, ullam expectativam, sive aliam quamcumque gratiam vacatura completentem concedere: & in §. 3. in omnibus Ecclesiis, & Monasteriis electivis, nullo excepto, in posterum fieri liberas, & canonicas electiones sancivit.

Itaque si quæ irrepserat consuetudo primariarum Precum tempore quo Principes

III V X X  
 Primarius  
 Preces ab Ep  
 genio IV. Pr  
 deico III  
 concessis

XXX.  
 Concordata

III C 3

Precibus Im-  
perialibus op-  
posita.

38 *De primariis Precibus Imperialibus*

Germaniæ contra fas electiones canoni-  
cas invaserant, & ante jam dictam con-  
cordiam; dilucidum fit per pacta jam re-  
lata subscripta ab Imperatore, omnibus-  
que Imperii Ordinibus, illam fuisse pe-  
nitus eradicatam; Concordata enim sunt  
directè opposita Precibus Imperialibus:  
in illis enim cavetur Electores Ecclesiasti-  
cos in posterum totali libertate gaudere,  
ut innuunt illa verba: *Fiant electiones ca-  
nonicæ*: sed vigore Precum Electores post-  
habita libertate electionis, quin nulla ele-  
ctione facta, coguntur Precistæ confer-  
re: in illis reservantur Ordinariis Colla-  
toribus quidam menses, in quibus neque  
Pontifices Romani, sed tantummodo Or-  
dinarii conferre queant, & Capitula eli-  
gere: quod jus subvertitur per Preces,  
quarum colore Ordinarii, & Capitula  
Precistæ, & sic personæ designatæ & ele-  
ctæ ab Imperatore conferre omnino te-  
nentur: in illis datur Episcopis canonica  
optio conferendi Beneficia magis dignis;  
at in Precibus datur optio Precistæ com-  
pellendi Ordinarios ad sibi conferendum  
pinguiora: in illis Papa sibi metipso in gra-  
tiam inclytæ nationis inhibuit in mensi-  
bus assignatis Ordinariis Collatoribus,  
expectativas, aut mandata de providen-  
do vacatura, vel similes gratias, quibus

de vacaturis disponeretur, concedere. In Precibus Imperator disponit de vacaturis, data electione Precistæ obtinendi primò vacaturum, quod is elegerit; & quod plus est, in Concordatis Papa sibi tantummodò reservavit collationes omnium Beneficiorum, quorum jus Episcopis, & Capitulis non dederat, & quorum elenchum jam retulimus; in Precibus autem Imperator disponit de Beneficiis quibuscumque, exceptis Ecclesiis Episcopalibus, & majoribus dignitatibus; disponit etiam de Beneficiis quocumque mense vacantibus, & sic de illis vacatis, & vacaturis in mensibus soli Papæ reservatis. Demum in concordia nil quod beneficialia sapiat reservatur Friderico & Successoribus, & omnium Beneficiorum collationes distribuuntur inter Summos Pontifices, & Ordinarios Collatores Germaniæ; quamvis Fridericus, omnesque Germaniæ Ordines concordiam adfuissent, eamque laudassent, & Imperator dissimulare haud potuisset jus primariarum Precum, quod Imperatores se habere existimaverant, cum & ipse ab Eugenio prædecessore Nicolai V. indultum speciale super his impetrasset.

Hoc argumento exagitati A catholici Scriptores, & Germani quidam Catho-

XXXI.  
Adversarios